

»res, fortis ad pericula, rigidior adversus voluptates, dura adversus illecebras, avaritiam fugat tamquam labem quamdam, quae virtutem effeminet;» idem postea de aliis vitiis subjungens. «Alio modo, prosequitur D. Thomas, potest accipi fortitudo, secundum quod importat firmitatem tantum in sustinendis et repellendis his in quibus maxime difficile est firmitatem habere, scilicet in aliquibus periculis gravibus: unde Tullius (1) dicit quod: fortitudo est considerata periculorum susceptio et laborum perpetuatio.»

Dico I. Fortitudo accepta pro firmitate animi in sustinendis et repellendis his, in quibus difficillimum est animum regere, et statum rationis retinere, ut sunt pericula mortis, est specialis virtus.

Prob. Ubi enim est peculiaris difficultas in retinendo rationis praescripto, quod rationis bonum dicitur, ibi necesse est nos peculiari virtute dirigi et juvari: atqui in periculis mortis est peculiaris difficultas ut quis decore et ex rationis norma interius et exterius se gerat: in his enim vel excitatur ingens timor ad mali fugam, quem difficillimum est ita coercere, ut non perturbet, et ad aliquid indecori compellat: vel excitatur motus audaciae, ad mali repulsam, qui etiam moderandus est, ne temere in periculum praecipitet: vel utraque affectio, alternantibus animi motibus, et veluti inter se configentibus, quod saepissime fit, exoritur; et tunc utramque simul ad rationis praescriptum temperare oportet. Itaque opus est peculiari virtute, quae has difficultates superet, et motus illos secundum rationis regulam moderetur.

Dices: Virtutes singulae ad hoc in sua materia sufficiunt, praesertim in gradu heroico; ergo specialis virtus fortitudinis non est necessaria.

Resp. a) Negando *conseq.* quia pauci virtutes habent in gradu heroico; itaque saltem caeteris est necessaria virtus specialis fortitudinis. b) Aliae virtutes non moderantur timorem et audaciam, quia id per se bonum et congruum est homini; sed quia necessarium ad finem ipsarum; unde potius dicuntur id facere imperando quam eliciendo; ergo debet esse aliqua virtus, quae id faciat ex affectu illius per se boni, et eliciendo.

13. **Dico II.** Fortitudo immediate versatur circa passionem timoris et audaciae in periculis mortis et similibus acerbis et terribilibus, debitam rationis mensuram sibi insitam illis imprimen-

(1) Rethor. L. 2, de *inventione* aliquant. ant. fin.

do, ut respondeant fortitudinis virtuti, et deceant virum fortem.

Prob. Omnis enim virtutis habitualis finis est, imprimere similitudinem sui in actionem vel passionem animi tamquam in propriam et proximam materiam (1); modus enim rationis primo et essentialiter existit in virtute prudentiae, et ab habitu transit in actum prudentiae. Ab actu autem prudentiae transit et veluti imprimitur actui interno voluntatis, qui alioquin ut a voluntate procedens, erat indifferens, capax illius et contrarii. Ab actu voluntatis interno transit in habitum, qui per actum in voluntate generatur; habitus vero genitus hanc rectitudinem intendit immediate imprimere vel actioni externae, si circa eam immediate versetur, ut in iustitia; vel passioni, si ejus proxima sit materia: mediate tamen etiam actioni externae; nam hujus moderatio est finis principalis virtutis illius. Sed fortitudinis est (ex Dico I) moderari timorem et audaciam. Ergo...

Deinde quasi ex consequenti sicut moderatur timorem et audaciam, antequam malum evenerit, vel quando superari potest; ita postquam evenit, et superari nequit, moderatur passionem tristitiae, ne quis nimium se affligat, aut aliquid indecori ex moerore agat. Inde patet *proximam* fortitudinis materiam esse timorem, audaciam et tristitiam in periculis mortis et similibus; his enim moderationem et rationis mensuram imprimere ante omnia conatur: *remotiorem*, externam actionem et compositionem, ut fugam, permansionem, aggressionem, totumque corporis motum, et gestum, nam conatur haec omnia moderari, ut consentanee viro forti fiant; non enim solam aggressionem fortitudo temperat; sed etiam fugam, quando ratio fugiendum esse dictat, et totam externam constitutionem: *remotissimam*, ipsa pericula.

14. **Dico III.** Pericula fortitudinis propria illa sunt, quae honeste suscipi vel sustineri possunt; ut sunt illa, quae pro salute reipublicae vel proximi, pro honore Dei, aut virtutis defensione suscipiuntur.

Prob. Nam materia virtutis non potest esse inhonesta; alioquin rationi virtutis repugnaret, et ejus capax non esset. Unde latrones, grassatores, duella ineuntes, et iniqua bella gerentes, non sunt dicendi fortes, sed temerarii, feroces, crudeles: quia eorum audacia et aggressio est iniqua, plenaque temeritatis vel belluinae immanitatis, ac proinde incapax honesti et decori fortitudinis.

(1) D. Thom. 2, 2, Q. 123, a. 7.

15. **Dico IV.** Fortitudo potissimum spectatur in periculis bellicis.

Prob. Quia belli pericula honestissima et maxima censentur, et hominum conditionem non superant. Ad haec pericula revocanda sunt non solum illa communia, quae ad patriae defensionem suscipiuntur in bello publico. sed etiam privata pericula, quae ab iniquis hominibus, privata impugnatione, propter justitiam inferuntur. ut recte adnotavit Angelicus (1). Hinc secundo spectatur fortitudo in aliis periculis sive mortis, sive aliorum malorum, et gravium calamitatum: qui enim bene ad illa bellica comparatus est, etiam alia, praesertim minora, facile sustinebit.

Ex dictis perspicuum est quid sit fortitudo: est enim virtus, quae motus animi in rebus terribilibus, praesertim periculis mortis sustinendis vel repellendis, moderatur.

16. **Dico V.** Quamvis perpessio martyrii possit procedere ab aliis virtutibus absque formali actu specialis virtutis fortitudinis, plerumque ex proprio hujus virtutis affectu procedit.

Nota. I. Martyrium in genere idem est quod testimonium. Verum hoc loco et passim apud scriptores ecclesiasticos accipitur pro testimonio veritatis fidei vel alicujus virtutis per mortis tolerantiam; nimirum cum quis pro veritate fidei, vel opere virtutis mortem subit. Hoc autem dupliciter fieri potest: 1.º Cum aliquo actu, quo mors ipsa propter illum finem acceptatur, quo modo agitur in adultis ratione utentibus; et hoc est martyrium perfectum et formale; quia sequitur ex intentione testificandi. 2.º Absque actu ullo, sicut in parvulis propter Christum occisis, «quos in honorem martyrum receptos veneratur Ecclesia,» ut ait D. Augustinus (2). Unde Deus acceptat eorum mortem instar formalis martyrii; quemadmodum enim sicut voluntas et peccatum Aadae illis obfuit, ut nascendo ex ipso contraherent peccatum; ita voluntas et meritum Christi illis prodesset, ut renascendo per ipsum consequerentur justitiam. Supplet igitur Christi meritum defectum propriae voluntatis; quia dum pro ipso patiuntur, singulari modo ipsi conformantur, et ad ipsum, tamquam membra ad caput pertinent; et ita voluntas Christi, qui est caput, ipsis veluti membris tribuitur, cum ipsi ut membra aliam habere nequeant.

II. In martyrio tria considerari possunt: 1.º Irrogatio mortis odio fidei vel virtutis. 2.º Acceptatio. 3.º Perpessio. Primum non est opus virtutis sed impietatis et injustitiae: semper enim est contra justitiam, quia fit gravis injuria proximo, dum sine causa

(1) 2, 2, Q. 124, a. 5.—(2) De lib. arbitr. L. 3, c. 23.

occiditur; est etiam contra eam virtutem, quae impugnatur, et cujus odio supplicium infligitur. Secundum et tertium ad varias virtutes pertinere possunt; si enim acceptatio et perpessio mortis consideretur quatenus fit ad testandam fidei veritatem in se ipsa, vel in opere virtutis elucentem; sic est confessio fidei, procedens a virtute fidei; ejusdem enim virtutis est aliquid interius credere et exterius profiteri. Si spectetur ut fit ad placendum Deo, est actus charitatis: si ut praecepto divino obedias, est obedientiae: si ut sit conformitas inter signa externa et iudicium internum, est actus veritatis. Denique si fiat quia in tali rerum peristasi decet virum fortem acceptare et sustinere mortem, sic proprie procedit a virtute fortitudinis. Similiter moderatio timoris et tristitiae, quae etiam necessaria est ut mors fortiter sustineatur, et cohibitio animi intra limites patientiae, potest fieri affectu variae virtutis: nec procedit a virtute fortitudinis, nisi fiat affectu proprii boni; nempe quia hoc per se honestum est et congruum viro forti. In praxi autem, omnes supradictae rationes et aliae similes considerandae sunt, et mors propter omnes et singulas acceptanda et sustinenda, passioque timoris et tristitiae moderanda; sicque formaliter hi actus ad varias virtutes pertinebunt.

I.^a Pars. Prob. Ex dictis in ipsa not. II et confirm. Quia ejusdem virtutis est amare finem, et medium ad finem necessarium: atqui amare castitatem v. gr. est virtutis temperantiae: ergo et amare mortem, eamque subire, quando haec ad castitatem conservandam est necessarium medium, est opus virtutis temperantiae.

II.^a Pars. Prob. Quia raro virtutes eum gradum perfectionis habent, ut solae ad martyrium sufficiant; unde aliarum adminiculo opus habent; et tunc idem actus externus a diversis virtutibus internis, prout in actu illo externo per se, vel in ordine ad diversos fines, diversae rationes honesti possunt considerari, procedit.

17. **Dico VI.** Perpessio martyrii sive procedat ab affectu speciali virtutis fortitudinis, sive alterius virtutis; semper tamen secundum communem modum loquendi Patrum dicenda est actus fortitudinis.

Prob. 1.º Quia a quacumque virtute procedat perpessio martyrii, in ea sustinenda potissimum robur et firmitas animi in bono elucet.

2.º Quia reipsa procedunt ex summa animi in bono honesto firmitate: atqui ea firmitas, qua quis ita alicui bono honesto inharet, ut paratus sit pro eo retinendo mortem oppetere, passim a Patribus vocatur fortitudo, ut constat ex Ambrosio (n. 12) et aliis (1);

(1) S. Augustinus L. 1 de mor. Ecclesiae cc. 22, 23.

nullus enim Patrum, fortitudinem ad eas angustias restringit, ut solum id, quod decet virum fortem, respiciat, ejusque solius intuitu operetur. De beatis martyribus, ajebat Cyprianus (1): «Quibus vos laudibus praedicem, fortissimi fratres? Robur pectoris vestri et perseverantiam fidei, quo praeconio vocis exornem? Tolerastis usque ad consummationem gloriae durissimam quaestionem, non cessistis suppliciis, sed vobis potius supplicia cesserunt. Finem doloribus, quem tormenta non dabant coronae dederunt... Vidit admirans praesentium multitudo caeleste certamen, certamen Dei, certamen spirituale, praelium Christi, stetisse servos ejus voce libera. mente incorrupta, virtute divina, telis quidem saecularibus nudos, sed armis fidei credentes armatos... Inexpugnabilem fidem superare non potuit saeviens diu plaga repetita, quamvis rupta compage viscerum torquerentur in servis Dei jam non membra, sed vulnera... O quale illud fuit spectaculum Domino, quam sublime, quam magnum, quam Dei oculis sacramento ac devotione militis ejus acceptum, sicut scriptum est in Psalmis, Spiritu sancto loquente ad nos pariter et monente (2): *Pretiosa est in conspectu Domini mors justorum ejus.*»

Ex quibus perspicuum est, martyrium vere et proprie esse actum fortitudinis, etiamsi solius charitatis et fidei affectu subeatur; non simplicem et vulgarem, sed excellentissimum, quia in nobilissima fortitudinis materia, nimirum in periculis bellicis, iisque pulcherrimis versatur. In martyrio enim est bellum contra tyrannum pro defensione fidei et religionis, quod (probabiliter saltem fieri debet et communius) fit non invadendo, sed tolerando: at multo difficilius tolerare quam invadere, ob tres causas: 1.^a Quia qui tolerat, veluti a fortiore invaditur et opprimitur: qui invadit aggreditur tamquam fortior; difficilius autem est cum fortiore pugnare quam cum debiliore. 2.^a Qui tolerat jam sentit malum praesens: qui invadit, aestimat tamquam futurum. 3.^a Tolerantia diu durat: invasio fit motu repentino: unde Proverb. (3) *Melior est patiens viro forti; et qui dominatur animo suo expugnatore urbium.*

N. B. Quae sit efficacia martyrii, quae requisitae dispositiones, quae moriendi causae efficiant veros martyres, vide Vol. III, Disq. II. De Baptismo nn. 76-90. Consule D. Thomam 2, 2, Q. 124 et ejus discipulum Lessium, de Justitia et jure L. III, de fortitudine dub. 3, 4, 5, ex quo fere omnia in hoc praeambulo dicta et dicenda excerpimus.

(1) Epist. 8. Ad martyres et confessores.—(2) CXV, 15.—(3) XVI, 32. Conf. S. Ambrosium. De offic. L. 1, c. 41; S. Joann. Chrys. homil. 85. (al. 84) in Matth.

18. Scholia. I. Tria vitia juxta D. Thomam (1) ex Aristotele (2) fortitudini opponuntur: 1.^o Timiditas, quae est vitium excedens in timendo, timet enim quod non oportet, vel quando non oportet, vel plusquam oportet; et deficiens in audendo, non enim audet aggredi quando ratio dictat aut sicut dictat; sub hac ultima consideratione vocatur à latinis ignavia; Aristoteles utramque partem δειλία vocavit i. e. ignaviam. Hanc timiditatem vetuit Dominus (3): *Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, et post haec non habent amplius quid faciant.*

Consequenter ad dicta (n. 13) notandum est non omnem inordinatum timorem opponi virtuti speciali fortitudinis, sed eum tantum, qui est circa pericula mortis, vel gravium calamitatum; alii timores mali ad alia vitia pertinent: sicut enim in omni virtute est inordinatus amor, et consequenter etiam inordinatus timor; omnis enim timor nascitur ex amore boni amati et omnis amor parit timorem, si bonum amatum potest amitti; ita in omni vitio habituali est inordinatus amor alicujus boni creati, et consequenter inordinatus timor; unde intemperans timet amittere suas voluptates, avarus pecunias, ambitiosus honores; solus autem timor inordinatus amittendae vitae in periculis mortis adversatur fortitudini.

2.^o Intimiditas, vacuitas justis timoris est alterum vitium deficiens in timendo: non enim timet quando timendum aut quae timenda. Fortitudo enim non solum reprimit timorem, ne excedat, sed interdum etiam excitat, ut malum declinetur; ut quando illud vires superat, nec est ratio cur sustineatur: tale est terraemotus, fulmen, naufragium, vis hostilis longe superior, denique omnia manifesta pericula mortis, quando deest causa subeundi. Huc pertinet securitas perniciose eorum, qui se manifestis periculis mortis, cum in peccato mortifero sunt, exponunt, nec aeternam mortem timent. Provenit ex triplici causa: a) Ex eo, quod vitam suam minoris faciant, quam oportet: est enim vita bonis temporalibus longe praestantior; tum quia res temporales sunt propter vitam humanam, ad eam fovendam, solandam, ornandam; tum quia vita ista temporalis facultatem justitiae et meritorum vitae aeternae suppeditat. b) Ex superbia; haec enim facit ut homo sibi praefidat et alios contemnat, quasi ab illis laedi non possit; et ita non timet, juxta illud Job (4): *Factus est ut nullum timeret: omne sublime videt.* c) Ex animi stoliditate; unde Aristoteles (l. c.) ait: «Furiosos nihil timere:» sic quidam milites nihil timent; quia per vecordiam non concipiunt animo quid sit mors, et quae mortem sequantur.

(1) 2, 2, QQ. 125-127.—(2) 3 Ethic. c. 7.—(3) Luc. XII, 4.—(4) XLI, 25.

3.^o Audacia seu temeritas, quae hic accipitur pro excessu in audendo, et aggrediendo; cum quis, ut malum imminens repellat, aggreditur aliquid, quod non convenit, vel quando non convenit, vel quo modo non convenit. Oritur hoc vitium ex iisdem causis ex quibus vacuitas timoris, quae est maxima dispositio ad temeritatem; plerumque tamen ex cupiditate vanae gloriae sicut et jactantia, cui ut plurimum hoc vitium est connexum: nam audaces fere sunt jactabundi, et volunt videri fortes, cum non sint.

II. De partibus fortitudinis: 1.^o Partes subjectivas fortitudo proprie non habet (1); quia ipsa est species specialissima, cum versetur circa pericula mortis, quae omnia sunt ejusdem generis, etsi alia aliis majora. Hoc intellige de fortitudine unius ordinis: nam si diversos virtutum ordines spectemus, duplex erit fortitudinis virtus: alia enim est ordinis naturalis, quae pericula et acerbitates sustinet, quia decet hominem ratione praeditum, vel Philosophiae praeceptis imbutum, vel illustri familia clarisque majoribus ortum. Alia supernaturalis, quae fidem et affectum supernaturalem supponit, et prudentia supernaturali ut regula utitur. Haec eadem sustinet, quia decet christianum, crucis Christi cultorem, immortalitatis candidatum, etc.

2.^o Fortitudini assignantur (2) «partes quasi integrales et potentiales: integrales quidem secundum ea, quae oportet concurrere ad actum fortitudinis; potentiales autem, secundum quod ea, quae fortitudo observat circa difficillima, scilicet circa pericula mortis, aliquae aliae virtutes observant circa quasdam alias materias minus difficiles; quae quidem virtutes adjunguntur fortitudini, sicut secundariae principali. Est autem... duplex fortitudinis actus, scilicet aggredi et sustinere. Ad actum autem aggrediendi duo requiruntur. Quorum primum pertinet ad animi praeparationem, ut scilicet aliquis promptum animum habeat ad aggrediendum, et quantum ad hoc ponit Tullius (3) fiduciam. unde dicit quod: fiducia est per quam magnis et honestis in rebus multum ipse animus in se fiduciae certa cum spe collocavit. Secundum autem pertinet ad operis executionem, ne scilicet aliquis deficiat in executione illorum, quae fiducialiter inchoavit: et quantum ad hoc ponit Tullius magnificentiam: unde dicit, quod: magnificentia est rerum magnarum et excelsarum cum animi ampla quadam et splendida propositione cogitatio atque administratio, i. e. executio; ut scilicet amplo proposito administratio non desit... Ad alium autem actum fortitudinis, qui est sustinere.

(1) D. Thom. 2, 2, Q. 128. — (2) D. Thom. ibid. — (3) L. 2, de invent. aliquant. ante fin.

»duo requiruntur: quorum primum est ne difficultate imminentium
»malorum animus frangatur per tristitiam, et decidat a sua magnitudine; et quantum ad hoc ponit patientiam; unde dicit, quod: patientia est honestatis aut utilitatis causa, rerum arduarum aut
»difficilium voluntaria ac diuturna perpessio. Aliud autem est, ut
»ex diuturna difficilium passione homo non fatigetur usque ad hoc
»quod desistat, secundum illud Hebrae (1). *Non fatigemini animis vestris deficientes*; et quantum ad hoc ponit perseverantiam;
»unde dicit, quod: perseverantia est in ratione bene considerata stabilis et perpetua permansio.» Haec quatuor «si coarctentur ad propriam materiam fortitudinis, erunt partes quasi integrales ipsius; si autem ad quascumque materias difficiles referantur, erunt virtutes a fortitudine distinctae; et tamen ei adjungentur sicut secundariae principali.»

19. III. Magnanimitas: 1.^o Est virtus ad opera magna, et heroica in omni virtutum genere inclinans. Magnus enim dicitur animus, qui ad magna adspirat, eaque sola aestimat et cogitat, parva negligit vel despicit. Licet enim omnia virtutum opera ad res temporales collata magna sint bona; tamen non omnia in suo genere sunt magna vel ardua: sunt enim majora et minora, facilia et difficilia; proprie autem dicuntur magna, quae in singulis virtutum generibus magna seu ardua censentur, magnoque honore sunt digna; ut sunt magnae abstinentiae, magni labores pro salute animarum; eximium orationis studium, etc. Itaque virtus illa, quae magnitudo animi dicitur, ad haec inclinat. Quare esse magnum et arduum in operibus virtutum aliarum, est ratio formalis objectiva hujus virtutis, ob quam ad illa inclinat, et quam in illis efficere et veluti in sua materia imprimere conatur. Reliquae vero virtutes, si perfectae sint, seu in gradu heroico, inclinant ad opera magna sui generis; non ratione magnitudinis, sed ratione peculiaris honestatis, quam habent ex sua materia, quae honestas in magnis operibus est illustrior.

2.^o Ejus officia sunt: a) Principaliter opera magna seu quae magno honore sint digna efficere, non propter honorem hujus mundi, sed propter ipsorum operum excellentiam, ratione cujus honore sunt digna. b) Appetitum honorum moderari, ita ut eos neque multum appetat, neque plus quam par est refugiat: si deferantur, iis non extolli, non exultare laetitia, sed moderate se gerere. c) In omni prospera et adversa fortuna moderate agere; cum enim nihil magni aestimet, nisi quod vere magnum est, fit ut omnia temporalia parvipendat, ac proinde non multum curet illo-

(1) XII, 3.

rum secundos vel contrarios successus. Maximi tamen faciat honorem caelestem, ut apud Deum et angelos magnus habeatur et sit: hic enim honor est pars nostrae felicitatis, et praemium virtutis; et inter bona nostra externa maximum.

3.^o Haec virtus maxime reperitur in iis, qui spretis omnibus, quae in mundo sunt, Christi consilia sunt sequuti, et ad ejus imitationem vitam componunt: magnitudo enim animi potissimum in duobus sita est; in contemptu earum rerum, quae maximi vulgo aestimantur, et quaeruntur, ut sunt divitiae, voluptates, et honores; et in conatu, nisuque ad ea, quae sunt maxime ardua et honore caelesti digna; ut sunt consilia Domini, perfectio vitae christianae.

4.^o Vitia opposita magnitudini sunt: a) Praesumptio seu nimia suarum virium confidentia, qua fit ut quis aggrediatur aliquid, vel paratus sit aggredi, quod est supra ipsius vires. b) Ambitio, quae est inordinatus appetitus honoris: honor autem est testimonium excellentiae; quod multis modis deferri potest, ut detectione capitis, inclinatione corporis, etc. Tripliciter est inordinatus: α) Si appetas honorem ob rem, quae tibi non convenit, vel notabiliter majorem quam par sit. β) Si quaeras honorem ex re, quae tibi convenit, sed illicita, v. g. ex duello privato in quo vicisti. γ) Si ita ames honorem, ut paratus sis Deum offendere causâ illius acquirendi vel conservandi; ut si episcopatum compares per simoniam, etc. c) Inanis gloria, accipitur pro vanae gloriae cupiditate. Gloria in notitia excellentiae alterius, et laude, quae verbis agitur sita est. Unde distinguitur ab honore, qui in dignitatibus, magistratibus, et aliis testimoniis excellentiae, quae signis exhibentur; quando tamen vana gloria statuitur a D. Gregorio (1), quem sequitur D. Thomas (2) et caeteri doctores, ut vitium capitale, sub ea etiam fama et honor intelligitur. Tunc ex ea nascuntur juxta eundem Gregorium septem filiae: jactantia, praesumptio novitatum, hypocrisis, pertinacia, discordia, contentio, inobedientia. Nam dupliciter potes excellentiam tuam inordinate patefacere: α) directe, idque vel per verba, et sic est jactantia; vel per facta, quae si vera sint, et aliquid admirationis habeant, erit praesumptio novitatum; si falsa sint, erit *hypocrisis*. β) Indirecte, quatenus videlicet vis ostendere te non esse altero minorem, idque quadrupliciter, vel ratione intellectus, quod fit pertinacia, cum quis nimis inhaeret suae sententiae, nolens cedere meliori; vel ratione voluntatis, quod fit discordia, cum quis non vult alteri consentire; vel ratione verborum, sicque est con-

(1) L. 31 *Moral.* c. 31.—(2) 2, 2, Q. 132, aa. 4, 5.

tentio; vel ratione factorum, dum quis non vult exequi praeceptum superioris, ne videatur minor, quod fit per inobedientiam. d) Per defectum opponitur pusillanimitas, quae supponit apprehensionem, qua quis omnia tamquam nimis magna, et suam facultatem vel dignitatem excedentia concipit: unde fit ut diffidens viribus suis refugiat officia ad quae probe est idoneus, et detrectet bona opera aliquid difficultatis habentia, quae facile alioquin posset praestare. Si vocetur a Deo ad religionem, imaginatur rem esse nimis gravem, tristem, intolerabilem nec audet capessere. Adversus eam facit consideratio divini auxilii, quod in iis, quae ad salutem aut vocationem nostram pertinent, nobis praesto est, exempla sanctorum, magnitudo praemiorum, et alia, quae fiduciam augent.

20. IV. Magnificentia. 1.^o Notandum: *facere* aliquando generatim sumi, ut actiones et affectiones comprehendat; hoc modo magnificentia non est virtus specialis, et convenit etiam Deo et Christo; cerniturque in opere creationis, redemptionis, etc. Sumitur etiam pro virtute humana, quae magnis sumptibus in externa materia aliquid magni efficit; itaque magnificentia videtur vel pars quaedam esse magnanimitatis, vel parum ab ea distingui, ut versatur in tali materia, nempe in magnitudine operis externi, ut in extruendis templis, monasteriis, collegiis, in constituendis piis foundationibus, in epulo publico exhibendo quando ratio postulat.

2.^o Ejus munera sunt: a) Magni operis efficiendi causâ affectum copiosae pecuniae ad id necessariae moderari, ne per illum vel opus non audeat suscipere quando oportet, vel susceptum relinquat, vel non decore perficiat: affectus enim pecuniae facit ut homini valde difficile sit tantam copiam profundere, quantum opus postulat. b) Et quidem primario res magnas, ad quas magno sumptu opus est, efficere, quando ratio id postulat, vel suadet.

3.^o Ei opponuntur: a) Per excessum *avaritia* juxta Aristotelem (1), consumptio juxta Angelicum (2), i. e. operaria et indecora diligentia in sumptu faciendo; ut cum quis de industria sumptus auget supra quam res poscat, aut decorum patiat. Item qui in res parvas sumptus magnos facit, aut inconcinne splendorem et magnificentiam ostentat, sicut mercator ille, qui convivis ad coenam vocatis, cum hiems esset, faciebat ignem ex cinnamomo, etc. b) Per defectum parvificentia, cum quis prae angustia animi, operi magno pares sumptus non exhibet.

21. V. Patientia. 1.^o Ut virtus adjuncta fortitudini sumitur pro virtute quae in aliis a morte malis vel similibus animum confirmet, moderando moerores, qui ex illis percipi solent; ne vi-

(1) 2 *Etich.* c. 7.—(2) D. Thom. 2, 2, Q. 135, a. 2.

